1647

DEO OPTIMO MAXIMO UNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LUCÆ ORTHODOXORUM MEDICORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM, DIE JOVIS V. MARTII MDCCXXII.

M. PHILIPPO-BERNARDO DE BORDEGARAYE, DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An præcavendæ Nephritidi sola aqua?

RENES corpora sunt rubicunda, in abdomine utrinque posita, quorum dexter paulò inferior quàm sinister deprehenditur: duplici cinguntur membranâ, aliâ à peritonæo, aliâ verò propriâ, quâ quidem ablatâ, rotunda & brevia apparent corpuscula, ex quibus inter se connexis exsurgunt vasa recto tramite à parte gibbosâ centrum versùs propagata, plurima tamen ad latera, quædam ad extimam usque membranam protensa, sed ea brevibus intrò reflectuntur inclinationibus & circumvolutionibus: fasciculos inter horumce vasorum minimæ latentes & quidem numero plures occurrunt glandulæ, arteriis imò & venis appensæ, quæ præcipuum in urinæ secretione munus obeunt, per earum enim excretoria vasa liquor à pelvi per ureterem, cujus est expansio, in vesicam delabitur. Ubi autem vel urinæ vel renum substantiæ aut etiam pelvis & ureterum vitio vel aliâ ratione læduntur hæ partes lotii secretioni dicatæ, affectus oritur inter cæteros gravissimus.

EST enim Nephritis dolor in Lumborum regione ad latera spinæ in alterutrâ, rariùs in utraque parte adeò nonnunquam acerbus, ut vehementior, acutior, atrocior nec esse nec concipi possit: quanquam autem oriatur interdùm vel à grumo sanguinis crassiori ureteribus impacto glutinis instar adhærente, vel ab humore denso & acriori, vel à pure mordaci è renibus ulcerosis descendente, vel etiam ab ipsâ urinâ præ ductuum obstructione cespitante nimiáque copiâ canales ampliores efficiente aut asperitate suâ intensâque salsedine erodente; sæpiùs tamen & frequentiùs à lapillis, calculis aut arenis majoribus & asperis ureterem & pelvim potissimùm distendentibus & lacerantibus ducit originem, túncque cruciatus ita molestus & pungens infertur ut eum inflammatio nonnunquam & phlogosis excipiat. Calculi autem causa tùm efficiens tùm materialis quam alii perperàm esse dicunt crassam lentámque pituitam calore renum in gypsum & lapidem excoctam; alii obscurum per obscurius exponentes succum à spiritu lapidifico induratum; à Chymicis quibusdam sales esse dicuntur salibus nitri & urinæ spiritibus involutis analogos imò & congeneres, ex quorum luctâ calculi rudimentum eâ ferè ratione prodit, quâ coagulum ex intensâ nitri & urinæ salium effervescentiâ præcipitati constat. Qui quidem calculi generationis explicandæ modus acutè licèt & solerter excogitatus, minimè tamen nobis arridet, imò à vero prorsùs videtur alienus: iisque ultrò astipulamur qui tùm calculi tùm lapidis ortum ascribunt terrestribus tartareísque particulis quibus sanguinea massa plerumque referta est, quæque vel à parentibus vel ab eduliis, vel etiam ab aëre aliísque crassum sanguinem efficere aptis, quæ prava diathesis gravia temporis lapsu inducat Symptomata calculi generationem vel imminentem, vel jam inchoatam indicantia, non tantùm doloris vel gravantis vel acutioris sensum, sed cruris torporem, nauseam, vomitum, imò & calculi minoris excretionem cæteráque ad hujus affectûs diagnosim conferentia.

HIS omnibus antevertendis & præcavendis aptum nihil est quàm quod liquidorum tenuitati & fluiditati conducens, villos etiam fibrásque solidarum partium laxat, eas in debito ad functiones obeundas statu servando, vasaque vel tenuissima referat, glareas tandem aut mucosas tenacésque ac sibi invicem glutinis instar implexas partes solvere valet & per ductus canalésque ad id à naturâ destinatos adigere: sic sanguis tantùm abest ut possit concrescere quin potiùs & quâ par est ratione movebitur & minutissimè conteretur, ritéque & ad renum functiones obeundas aptissimè diluetur. Nec aliâ ratione variis harum partium obicibus & impedimentis fas est occurrere, quàm id præsidii prophylactici genus usurpando quod quamvis omnium simplicissimum, solùm tamen nativam & requisitam vim elasticam tueri, succos liquare, acorésque simul fluidorum vel minutissima vasa decurrentium refringere aptum est, utraque in mutuis ad se invicem rationibus servando & continendo: tunc enim nullus esse poterit vel à tubulorum constrictione vel ab irrigantium & prætetfluentium liquorum pravâ diathesi Nephritidi locus: imò sapienter plerisque affectibus prospicies, si tam salutari omniumque facillimo præsidio, renibus potissimùm dicato mutuum foveas liquores inter & vasa commercium, his nempè requisitum elaterium, illis motum expeditum conciliando.

UTRAMQUE certè paginam adimplent quæ sola cujuscunque generis acoribus hebetandis apta nata, fluida dividunt & solida laxant: quod cum de diluentibus tantùm asseri meritò possit, sic & aquæ maximè tribuere ipsique primas inter illa concedere non dubitabit quicunque ad illius proprietates attendet: particulis enim quibus illa gaudet lubricis & volubilibus sive politæ sint & rotundæ variísque interstitiis discretæ; sive ad ovorum figuram accedentes; sive potiùs, quod vero simillimum est oblongæ, teretes, læves & flexibiles dicendæ sint, particulis inquam lubricis, tenuissimis & summè mobilibus quarumlibet partium secretionibus dicatarum maximéque renum vasa distendit & permeat, quorum villos flexiles efficit, sanguiníque debitam servat fluiditatem: quæ quandiù steterint nihil à Nephritidis invasione metuendum; secùs verò si mutatio in solidorum aut fluidorum alterutro vel utroque, potulentorum præsertim errore, accidat. Apage igitur diuretica fibrarum irritatione infensissimi morbi ortum accelerantia: apage aquas minerales quæ plus habent celebritatis quàm salubritatis, principiis enim quibus constant vel salinis vel sulphureis noxam arte nullâ reparabilem partibus inferunt, rigiditatem, tensionem, irritationem in fibris, fluidorúmque lentorem spissitudinem terreis limosisque quibus constant fæcibus calculi proximâ causâ accersunt, quæ omnia solius aquæ beneficio removentur, præcaventur: quid enim aliud glutinosi tenacísque muci congestioni obesse, imò jam congestum detergere, quid succorum per varios & minimos universi corporis canales circuitionem & per renum tubulos maximè exiguos secretionem promovere valet præter aquam cujus frequens usus eò magis commendandus venit, quò illius abusus aut nihil aut certè parùm est timendus.

ACUTO renes morbo tentati sunt è majoribus tuis aut consanguineis nonnulli, vel etiam retrò ante aliquot annos perverso rerum nonnaturalium usu; metus est ne sanguis crassior fæcatus tandem evadat & tartareus, ut prognosticis vel gravioribus & non contemnendis, vel levibus tantùm & æquivocis subodorari fas est, justa tibi timendi ratio: aquæ potum in voluptatem vertas: quicunque populi tot secula liquorum inebriantium usum ignorarunt, aut nunquam aut rarò admodùm atrocissimis diri hujus affectûs cruciatibus fuêre divexati: salubri, eximio, unico utere prophylactico, quod usurpandum clamant hominum maxima pars, clamant bruta animantia, clamat & universa natura, quæ potum ubique obvium, quo viventium nullus carere potest, ad vitandum teterrimi affectûs insultum largè effuséque prospicienter usurpandum subministrat. Seriùs vel levissimæ infensissimi hostis minæ tibi sunt præveniendæ. Si vino indulgeas, periisti: si parcè utaris, parùm nocebit: minùs adhuc si tartari tantillulum in maximâ partium aquosarum natantis copiâ in se contineat: verbo dicam, eò minùs nocens quò magis ad aquæ naturam accedet, cujus crebrâ liberalíque potatione apprimè tutissiméque duræ generationi, sævo nimis litteratorum stipendio obviàm ibis: cujus eximii diluentis ope, virtutéque nulli alteri propriâ, nulli communicari idoneâ agentis, & inchoati morbi augmento officitur, & etiam confirmato non leve subsidium afferri constat. Verùm hæc præsentis non sunt instituti: satis sit è præmissis quarum utrique invicta sua probatio fuit adnexa ritè concludi posse.

Ergo præcavendæ Nephritidi sola aqua.



Lutetiæ proponebat THOMAS-RENATUS GASNIER, Paisinus, Baccalaureus Medicus, A. R. S. H. 1722. à sextâ ad meridiem.